

Fabri, Felix: Evagatorium in Terrae Sanctae, ..., ed. v. C.D. Hassler, Bd. 2, 1843,
enthaltend fol. 183A–291B von Bd. 1 des Autographs (19 555-1) und fol. 2a–74a von
Bd. 2 des Autographs (19 555-2)

zu Bild Nr.

0992

0990

0996

0986

1001

0981

1041

0941

1091

0891

0491

Ende

Anfang

419

et valde utilis. Ex hoc ausum accepimus sine metu bibendi aquas utrius. Cum autem pro coena fecissemus ignem, ecce ventus vehemens surrexit a mari magno sursum per torrentem flans et sarmenta ardentia dispersit ignemque extinxit, ita, quod nocte illa coquere nequivimus. Insuper pulverem terrae elevavit et tentoria nostra et lectulos replevit et omnia, quae habuimus, pulveribus et arena erant respersa, unde illa nocte stetimus in pulveribus sicut in nebula spissa, non stante vento mota, et totus torrens erat tenebrosus, aer caliginosus, et coelum videbatur atrum propter densitatem pulverum. Ideo omnes eramus sicut coeci, mediis oculis respicientes, nec poterat dormiens adeo caute se suis stratis involvere, quin subintraret ventus cum pulvere. E regione autem maris magni hic ventus processit et tempestas magna in mari erat, quia vidimus corruscationes et fulgura in parte maris, quae ibi non fiunt, nisi cum vehementi maris concussione. Cum autem nos iam ad quietem posuissemus, venit peregrinus ille, qui vigil erat pro ista nocte, in tentorium nostrum denuncians nobis, quod duo Arabes vagi ingressi essent nostrum exercitum, et se juxta nostrum tentorium locassent inter saccos et sportas nostras. Surrexi ergo, quia tunc eram nostrarae societatis procurator, et inveni illos duos vagos et aperto uno sacco tradidi eis paximatos pro sua coena et eorum amphoram replevi aqua de utribus nostris et signavi eis, ut recederent a tentorio et rebus nostris, quod et fecerunt et gratissimi de dono eis collato exstiterunt. Si nihil dedissemus eis, a nobis non recessissent et in duplo plus furati fuissent. Manserunt autem in exercitu nostro per aliquot dies, quia quorundam camelariorum notitiam habebant, alias non sustinuisseus eos nobiscum. Observant (**b**) enim latrones deserti Arabes tempus tempestatum, et aere obtenebrato et hominibus quodammodo excoecatis se in exercitum ingerunt et furantur, quaecumque inveniunt. Et quandoque aliqui tribus diebus proficiscebantur nobiscum, quos nemo novit, et unde aut quando invenerint, nemo scivit. Unde ideo Calinum rogavimus, ut illos nobis ignotos repellere, qui dixit, quod per diem neminem posset a nobis repellere, sed noctibus vellet eos extra nostrum cumulum jubere discedere, suasit tamen, imo petivit nos, quatenus sic occurrentibus non

27*

